

abstinere potest a privatione beneficii, aliaque mitiori aut revocabili poena in beneficiatum animadvertere

## CAPUT III.

## DE JUREPATRONATUS, COMMENDIS ET PENSIONIBUS.

## § 101.

## DE JURISPATRONATUS DEFINITIONE.

Hactenus de Beneficiis dictum est : nunc de Jurepatronatus, Commendis et Pensionibus, quae tria huc pertinent, breviter disseramus. Itaque Juspatronatus aliquibus est : « Jus honorificum, onerosum et utile competens alicui in Ecclesia, quam Episcopi consensu fundavit, construxit, aut dotavit. » Alii vero sic definiunt : « Jus seu potestas nominandi seu praesentandi Clericum instituendum ad Beneficium vacans. » Hostiensis in Summa hoc titulo n. 4 addit « *ad Beneficium simplex.* » Verum, quod scite animadvertisit Pirhing hoc eod. tit. : « per beneficium simplex Hostiensis intellexit Beneficia non electiva, seu quae praelatura non sunt, sive sint simplicia, ut Capelliae, sive Curata ut Plebaniae seu Parochiae, quae patronata beneficia vocantur, et conferuntur per institutionem Ordinarii dependenter a presentatione Patroni : presentationes autem, quae fiunt ad Dignitates et Praelaturas, non fiunt ex praescripto Juris communis, sed ex privilegio Sedis Apostolicae, vel consuetudine legitime praescripta. » Profecto praelatura Ecclesiarum Collegiatarum nominationi seu presentationi Patronorum non subsunt, quod jus commune statuit, ut Praelati Ecclesiarum Collegiatarum ab eodem Collegio seu Capitulo eligantur, et si quis alter Ecclesiam adeptus fuerit, expellatur, cap. 4 de Elect., ut proinde Pa-

## § CII. DE ACQUISITIONE JURISPATRONATUS. 199

troni qui eas Ecclesias fundarunt vel dotarunt, etsi jura honorifica aliave similia obtineant, jus tamen nominandi, seu praesentandi Praelatum sine speciali Sedis Apostolicae privilegio comparari nequeant. Similiter in Ecclesiis Cathedralibus jus Episcopos nominandi Fundatoribus non conceditur jure communi, sed unius Pontificis privilegio, seu pactis cum eo conventionis comparatur, tum quod Ecclesiae Cathedrales, quae veteri jure communi per canonicam electionem tribuebantur, jure novo collationi Pontificis reservatae sunt, tum quod Ecclesiae Cathedrales auctoritate solius Pontificis eriguntur, atque adeo reservatio juris nominandi, aliaeque conditiones foundationi adjectae ab ipso tantum Pontifice probari possunt. Quamobrem, dum Covarruvias ad cap. Possessor part. 2 § 10 affirmavit, jus nominandi Episcopos ad Hispaniarum reges pertinere tum ex privilegio, tum etiam jurepatronatus, quod Cathedrales Ecclesias exercent, construxerint, et ampliis patrimonii dotaverint, sic ipsius verba accipienda sunt, ut nimirum fundatio et dotatio Ecclesiarum Cathedralium causa fuerit, cur jus nominandi regibus Hispaniarum concessum sit : ipsum autem privilegium Apostolicum caput est et origo, unde jus illud derivatur. Est itaque jus grati animi et retributionis causa ob rem temporalem quam fundator Deo dedit, ab Ecclesia induitum et spirituali adnexum, sive, ut ait S. Thomas, ordinatum ad spiritualia, ex. gr. ad presentationem Clerici, ut in Beneficio ecclesiastico instituatur, et Clerico jus tribuit ad rem spiritualem, scilicet ad Beneficium obtinendum.

## § 102.

## DE ACQUISITIONE JURISPATRONATUS.

Igitur Juspatronatus in primis acquiritur *fundatione, constructione et dotatione.* Fundatione, veluti si quis fundum vel aream tribuat, in qua Ecclesia aedificetur: constructione,

si quis suis sumptibus Ecclesiam aedificet, vel collapsam restauraret: dotatione demum, si quis annuos fructus pro alendis ministris, et conservatione Ecclesiae constituat. Verum non omnis fundatio juspatronatus comparat: siquidem putandum non est per solam fundi concessionem juspatronatus acquiri, ne quis dicatur Patronus Ecclesiae quae nondum est et forte nunquam futura; sed etiam requiritur, ut Ecclesiae aedificatio absolvatur, et praeterea dos constituatur vel ab ipso fundatore, vel ab alio. Quemadmodum etiam concessio fundi seu areae sine constructione Ecclesiae, ita etiam constructio sine dote ad ministros alendos, et divinum cultum exhibendum prope inutilis est. Unde nequit Episcopus assentiri, ut quispiam Ecclesiam aedificet, nisi dotem constituat. Itaque juspatronatus non acquiritur, nisi constructione simul et dotatione. Si tamen plures in illud opus absolvendum viritim conferant, veluti si alius aream, alius expensas ad aedificationem, et alius congruam dotem, singulis juspatronatus acquiritur: quo spectat illud glossae *patronum faciunt dos, aedificatio, fundus*; et ideo ipsorum quilibet suam vocem seu votum ad Clericum praesentandum consequitur, licet unus plus contulerit, quam reliqui. Quod si unus idemque fundum tribuat et aedificet, alter vero dotem assignet, priori tanquam ex duplice capite patrono debentur duae voces seu vota, posteriora unam, et ita in reliquis casibus quilibet patronus tantum proficit, quantum contulerit. At si Ecclesia primum aedificata ruinae proxima sit, aut lapsa, vel si ejus redditus defecerint, tum sola aedificatione, aut dotis constitutione juspatronatus acquiritur, cum haec liberalitas fundationi aequiparetur. AEquum tamen erit veterem patronum ab Episcopo audiri, an ipse malit iterum aedicare, vel dotare: quod si renuat, et necessitas urgeat, non videtur cur Episcopus nequeat juspatronatus iterum aedicanti vel dotanti tribuere. Sed Joannes a Costa in Comm. ad cap. 1, 2 et 36 distinguit, utrum juspatronatus veteri patrono concessum sit erectione et dotatione simul, vel

ex dotatione tantum. Priori casu iniquum censem patronum jure suo privari, ut saltem cum novo aedificatore concurrat; posteriori casu consentit juspatronatus amitti, et dotanti acquiri. Verum qui dotem sufficienter constitutam et existentem solum augeat, aut aliquid in Ecclesiae instauracionem aut ornamentum conferat, patronatum non acquirit; non enim fundator, sed benemeritus habendus est; patronum autem a reliquis de Ecclesia benemeritis oportet distinguere.

At vero necesse est ut Ecclesia vel beneficium auctoritate Episcopi fundetur, secus enim fundatio, seu locus religiosus habendus non est. Sed quaeretur, an fundatione de consensu Episcopi absoluta juspatronatus acquiratur, quamvis fundator in sua fundationis tabulis jus illud sibi expresse non reservaverit. Jam vero certum exploratumque est, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis Juspatronatus non acquiri, nisi expresse reservatum et Apostolica auctoritate probatum sit, quod ipse Franciscus de Roye de Jurepatronatus cap. 15, et Florens tradiderunt. Sed quod ad inferiores Ecclesias et Beneficia pertinet, magis recepta sententia est, juspatronatus jure ipso inesse fundationi Ecclesiae, vel dotationi, ut proinde cum Ordinarius in fundationem et dotationem consenserit, consensisse etiam in juspatronatus fundatori vel dotanti tribuendum censeatur, nisi fundator expresse aut tacite eidem juri renuntiaverit; expresse quidem per tabulas, seu scripturas, aut aperta verba; tacite vero per non usum, veluti si fundator diu passus est Ecclesiam vel beneficium pluries ac libere ab Episcopo conferri.

Juspatronatus acquiritur etiam praescriptione. Sed praescriptio aequo jure adversus patronum, et contra Ecclesiam liberam non procedit. Nam duobus de Jurepatronatus contenditibus praescriptione, ei tribuitur patronatus qui spatio quadraginta annorum illud possederit, et bis autem praesenterit. Ubi vero controversia sit adversus Ecclesiam, non praescribitur, nisi ex multiplicatis praesentationibus per antiquis-

simum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. In iis vero personis, seu Communitatibus vel Universitatibus, in quibus jus plerumque ex usurpatione potius quae situm praesumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuae non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio quae omnes effectus sortitae sint, authenticis scripturis probentur. » Concil. Trid. sess. 25 cap. 9 de Reform.

Demum Juspatronatus acquiritur privilegio, si nimurum Pontifex alicui qui Ecclesiam nec fundavit, nec exstruxit, nec dotavit, hoc jus vi supremae potestatis largitus sit. Episcopus autem eam sibi potestatem vindicare nequit. Hac de re Leurenus, in Foro Benef. part. 2 quaest. 46, exhibet declaracionem S. Congregationis Concilii, quae sic habet: « Juspatronatus ex privilegio Episcopi concessum, in cuius pacifica possessione extiterunt praetensi patroni per annos centum quadraginta, non prodest, cum enim constet de titulo ex privilegio invalido, centenaria possessio prodesse non potest ob malam fidem. » Sed Pontifex patronatum concedere solet non ex mera gratia et privilegio, sed quadam aequitate et remuneratione, puta ob augmentum dotis, bonorum vindicationem, vel ob alia in Ecclesiam merita; tum vero concessio Pontificis non est adversa Tridentino decreto, quo hujusmodi privilegia sublata sunt; causae enim propter quas tribuitur, fundationi et dotationi comparari quodammodo possunt.

### § 103.

#### DE TRANSLATIONE JURISPATRONATUS.

Quatuor sunt modi, quibus juspatronatus jam quae situm in alios transfertur ac derivatur, qui proinde modi *derivativi* vocantur, siquidem modi jam commemorati, quibus hoc jus

primo comparatur, *originarii* vocari solent quod ex eis jus ipsum originem ducat. Primus itaque modus derivativus est successio sive legitima, sive testamentaria, qua juspatronatus transit ad haeredes quoscumque, seu consanguineos, sive extraneos, sive mares, sive foeminas, sive directos, sive fideicommissarios, sive usufructuarios universales, dum Patronatus rebus haereditariis adhaereat. Translatio ejus juris sive cum universitate bonorum, sive cum certis de specialibus bonis, ex. gr. cum Castro cui juspatronatus adnexum est, Episcopi auctoritate non indiget qua firmetur. Sed necesse est ut Episcopus consentiat, si Patronatus sine ulla haereditate in laicum transferatur. Secundus modus est donatio libera et gratuita tum rei cui juspatronatus inest, tum ipsius juris: in qua quidem consensus Episcopi requiritur, si patronus laicus alteri laico, non autem si Ecclesiae aut alii loco religioso, vel compatrone donaverit. Sed donatio universalis omnium bonorum sine ulla Episcopi auctoritate jus quoque Patronatus transfert; quin imo in generali donatione bonorum translatio Patronatus ipso jure continetur. Tertius modus est permutatio, si nempe res cui juspatronatus infixum est, cum alia re permutetur; jus enim illud veluti accessorium rem ipsam sequitur, nec opus est consensu Episcopi: jus tamen patronatus in aestimationem venire non potest. Postremus modus est venditio non quidem jurispatronatus, sed rei cui jus adhaeret, dum pretium ratione patronatus non augeatur, et consensus Episcopi accedat. Sed in venditione omnium bonorum, quemadmodum in generali donatione non est opus Episcopi auctoritate. Ad hunc postremum modum transferendi Jurispatronatus pertinet Emphyensis, locatio praesertim ad firmum seu longum tempus et alii contractus, quibus possessio et utilitas rei in aliud transferatur. Huc etiam spectat collatio Beneficii seu Dignitatis, ad quam juspatronatus pertineat.

Sed antequam rem uberior explicemus, operae praetium

est divisiones Jurispatronatus in medium proferre. Itaque jus patronatus primo dividitur in Ecclesiasticum et laicale. Ecclesiasticum Ecclesiae seu Dignitati ecclesiasticae adhaeret, illudque exercet qui eam [Ecclesiam seu Dignitatem obtinet vel administrat: laicale est, quod spectat ad aliquem sive Clericum, sive laicum non ratione Beneficii et Dignitatis, sed ratione sanguinis, successionis, vel alio simili titulo. Quamobrem ut intelligas, an juspatoratus ecclesiasticum sit an laicale, non persona possidentis spectanda est, sed titulus quo possidetur. Si vero juspatoratus ad alterum ratione Ecclesiae, ad alterum ratione successionis pertineat, dicitur mixtum, quod contingere potest, si ex. gr. ex duabus patronis laicis alter jus suum Ecclesiae cesserit.

Praeterea Juspatoratus dividitur in haereditarium et familiare, seu gentilitium. Primum est quod titulo haereditario pertinet ad fundatoris haeredes etiam extraneos, alterum est quod solum personis consanguinitate vel affinitate conjunctis cum familia fundatoris, aut cum alia familia a fundatore nominata obvenit: et si quidem eis tantum obveniat qui per virilem sexum processerint, dicitur *agnatitum*, si etiam iis qui per foemininum sexum providerint, *cognatitum* appellatur. Interdum autem induit utramque naturam haereditarii nimirum et gentilitii. In dubio tamen haereditarium praesumitur, ut quod frequentius est et juri communi conformius.

Tertio dividitur in reale et personale: primum est quod intuitu bonorum et rerum competit, ideoque in omnes eorumdem bonorum possessores transit: personale est quod personis seu familiis adhaeret ob qualitates personales, ex. gr. ratione agnationis. Denique patronus interdum jus habet praesentandi quemcumque Clericum idoneum seipso excepto, interdum autem jus quidem obtinet praesentandi, sed certas tantum personas ab ipso fundatore vocatas, quae idcirco si negligantur, ipsis jus est institutionem ab Ordinario petendi,

perinde atque a fundatore ipso praesentatae fuissent. Jam vero juspatoratus intuitu ejus cui ex quocumque titulo jus est praesentandi, dicitur *activum*; intuitu autem personae quae jus habet ut praesentetur, *passivum* nuncupatur.

His praemissis monendum est: 1. Juspatoratus haereditarium, sive reale, sive personale transit cum haereditate legitima aut testamentaria ad haeredes omnes in solidum, quamvis haereditas inaequaliter dividatur quia juspatoratus individuum est. Jus tamen praesentandi dividi potest, in eoque non secus ac in aliis juribus haereditariis succeditur in stirpes, et non in capita, jure scilicet representationis: unde duobus, qui unum simul juspatoratus tenebant, decedentibus, quorum alter unum, alter quinque haeredes reliquerit, horum quinque haeredum suffragium, sive voces aequae ac illius haereditis pro uno suffragio computantur, quod hi quinque, non secus ac alter haeres, unum tantum patronum praesentant. « Ut autem facilius provideatur Ecclesiis, non inconveniens, ait Pontifex in Clement. 2 de Jurepatron., reputamus patronos ipsos inter se libere convenire posse de rectore ab eis alternis vicibus praesentando. » 2. Juspatoratus gentilitium defertur in capita et non in stirpes. Frequenter tamen et tabulis foundationis, et locorum consuetudinibus obtinuit, ut juspatoratus gentilitium primogenito de familia, praecipue si fundo illustri adnexum fuerit, obveniat; tum etenim eaedem pene leges ac regulae tenendae sunt in delatione patronatus hujusmodi, quae in feudis aut fideicommissis gentilitiis, seu familiaribus deferendis receptae fuerint. Illud etiam est discriminis inter gentilitium et haereditarium, quod a gentilitio, nisi aliter a fundatore cautum sit, repelluntur filii illegitimi, cum non dicantur de gente seu familia, etiamsi essent per Rescriptum Principis legitimati. Incestuosi autem ita repelluntur, ut ne eis quidem prosit Pontificis legitimatio, nisi de qualitate cum natalium, tum juspatoratus aperta et individua mentio facta sit: in haereditario autem

qualitas personae non inspicitur, et si jus illud personale fuerit, ad eum transit cui patronus reliquerit; si autem reale, in eos transfertur, qui rei ipsius testamentarii vel legitimi haeredes habeantur. 3. Juspatronatus familiare seu gentilium nec testamento relinqui, nec alio modo in alium transferri potest, sed gradatim ad eos transit qui in tabulis fundationis vocati sunt. 4. Juspatronatus quod fundo cohaeret, seorsim a fundo vendi, permutari, vel locari non potest, secus enim ex decreto Concilii Trid. sess. 25 cap. 9 de Reform. vendorum juspatronatus et emptor pretium amittit. 5. Demum in jurepatronatus reali, si proprietas rei ad alterum pertineat, et alter dominium utile habeat, jus praesentandi dominium utile sequitur. Hinc si fundo dotali juspatronatus infixum sit, Canonistae communiter tradunt, jus praesentandi constante matrimonio ad maritum pertinere, cum dominium civile dotis cum jure percipiendi fructus ad ipsum transeat.

## § 104.

## DE JURE PRAESENTANDI.

Praecipuum patronorum jus in praesentatione situm est. Praesentatio autem est nominatio seu oblatio idoneae personae in beneficium instituendae. Fit autem praesentatio vel ab ipso patrono per se, vel ejus nomine per mandatarium speciali mandato instructum, atque etiam per Tuteorem vel Curatorem loco eorum, quibus prudentis judicij defectus obstat. Sed presentationem rite factam esse oportet, hoc est litteris in forma authentica expeditis, et legitimate exhibitis Ordinario, a quo institutio tribuenda. Ubi autem plures sunt patroni, praesentatio ab omnibus facienda est; verum interest, num praesentatio pluribus, prout Collegium constituent, an vero singulis seorsim competit. Si patroni Collegium constituent, necesse est ut praesentatio collegialiter fiat,

atque ita omnes vocandi sunt, et si quidem unus negligatur, poterit agere de contemptu, Argum. cap. 28, 36, et 42 de Elect. Insuper praesentatio collegialis irrita est, nisi major pars ejusdem collegii in unum conspiraverit. Si vero praesentatio ad plures, uti singulos, seorsim pertineat, singuli reliquis etiam non vocatis nec monitis valide praesentant, nec omnes, nec plerique tenentur in unam personam convenire. Itaque si a patronis praesententur plures, et major vocum pars unum offerat, hic praeferrendum est. Quando autem vota sint paria, tunc patroni dicuntur disceptare, et si intra tempus a jure concessum plura vota non conspirent in unum, Episcopo arbitrium permittitur in pari causa inter duos aut plures quem maluerit gratificandi, et praeligendi, ex cap. 24 de Jurepatron. Attamen quoties compatrioti discordes alii alium praesentant, Apostolica Sedes consuevit beneficium ei conferre qui ad ipsam cito recurrens, suosque adversarios praeveniens exposuerit, se intra legitima tempora praesentatum a majori parte vel saltem medietate patronorum fuisse, ac gratiam derogationis alteri vorum medietate postulaverit.

Est porro in jure praefinitum tempus, intra quod praesentatio fieri debet. Itaque patrono laico quatuor menses conceduntur, sex autem menses patrono ecclesiastico, ejusque compatrioto laico, licet laicus seorsim ab ecclesiastico nominet. Patronus laicus plures non modo simul, sed etiam vicissim intra tempus constitutum praesentare integra potest, ita tamen ut primas presentationes irritas facere non praesumat; omnes enim debent in suo robore permanere et Episcopo praesentari; Ecclesiasticus vero, semel facta praesentatione, recessere ab ea vetatur. Praeterea si patronus ecclesiasticus indignum praesentaverit, ea vice privatur jure praesentandi, et collatio libera efficitur; Laicus autem indignum praesentans jubetur alium praesentare; cuius discriminis ea estratio, quod Ecclesiasticus idoneum nosse praesumitur, quae juris praesumptio cessat in laico. Demum si Ecclesia vel beneficium

jurispatronatus ecclesiastici fuerit Parochiale, indicendus est concursus, et quem patronus dignorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo praesentare tenetur, ut ab eo instituatur. « At si institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat dignorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat, » uti expresse sancivit Tridentina Synodus sess. 24 cap. 18 de Reform.

Verum ubi sermo sit de Ecclesiis Parochialibus jurispatronatus laicorum, non requiritur examen per concursum, sed satis est ut praesentatus a patrono ab iisdem Examinatoribus in Synodo deputatis idoneus repertus sit, ex eadem Synod. Trid. cit. loco. Item si Ecclesia Parochialis sit jurispatronatus mixti, hoc est partim Ecclesiastici, et partim laicalis, S. Congregatio Concilii die 5 Februarii anni 1628, ne jura laici ob consortium cum Ecclesiastico ulla ex parte laederentur, declaravit neque ad hujusmodi Ecclesiae collationem necessarium esse examen per concursum, sicuti testatur Barbosa cito tatus a Benedicto XIV de Syn. Dioeces. lib. 4 cap. 8 : Potest « nihilominus evenire, » prosequitur Pontifex cit. loco, « ut concursus institui debeat etiam ad Ecclesiis Parochiales jurispatronatus laicorum; nam si ab uno, aut pluribus patronis laicis aequali jure gaudentibus plures ad vacantem Ecclesiam sint nominati et Episcopo praesentati, neque ullus ex praesentatis retulerit a patronis plures voces, quam caeteri, teneatur Episcopus indicere concursum inter eosdem praesentatos, atque illum eligere, quem ex approbatis ab Examinatoribus judicaverit magis idoneum. » De his dictum etiam est supra § 28.

Legitime praesentatus, si idoneus sit, per presentationem jus ad beneficium acquirit, et si beneficium alteri conferatur, institutio irrita est. Sed antequam patronus praesentet, si Antistes Collator beneficium contulerit, collatio hujusmodi manet, donec Patronus intra tempus ad praesentandum conces-

sum, vel praesentaverit, vel expresse contradixerit. Eo autem expleto tempore collatio Antistitis perpetuo firma et rata censetur ob tacitum Patroni consensum. Praeterea si controversia de ipso jure Patronatus oriatur, quae intra quatuor menses definiri non potuit, tunc Ordinarius Antistes libere confert beneficium, quia propter laicorum lites non debet Ecclesiis praejudicium inferri. Dum autem constat Ecclesiam esse patronatam, et quaestio est utri ex litigantibus jus praesentandi competit, si uterque salvo jure suo in eamdem personam consentiat, institutio neganda non est, nullum enim inde in Ecclesiam damnum derivatur. Verum dum litigantes diversas personas praesentant, ejus praesentatio admittenda est cui possessio faveat. quod pendente lite nemo suo jure privatur.

## § 105.

## DE RELIQUIS JURIBUS PATRONORUM.

Haec breviter de jure praesentationis, nunc superest ut reliqua patronorum jura sive *honorifica*, sive *utilia*, sive *onerosa* exponamus. Inter jura honorifica haec vulgariter recensentur, honor scilicet processionis, thuris, precum, sedis, aquae benedictae, et sepulturae. Honor processionis patrono exhibetur dupli modo : primo quidem dum ulli ad Ecclesiam venienti Clerus in processionem digestus occurrit, qui hodie honor solum patronis, qui summi Principes sint, exhiberi solet : secundo autem, dum eidem patrono in publica et solemnni processione honoratior locus inter laicos attribuitur. Honor thuris in eo positus est, ut patronus seorsim a reliquo populo thurificetur. Honor precum facit, ut nomen patroni in publicis Ecclesiac precibus nominatum commendetur. Honor sedis in eo est, ut fixa et specialis sedes patrono constituantur, et quidem in navi Ecclesiae patronatae, vel etiam in ipso Presbyterio, Choroque Cleri proximior. Honor aquae